9

Seinem verehrten Lehrer
Herrn Professor Kilian
zur freundlichen Erinnerung

der Verfasser.

ENARRATUR

SECTIO CAESAREA

NUPER IN CLINICO NOSTRO A CL. KILIANO TERTIUM EADEM IN FEMINA ET MATRE ET INFANTE SALVIS INSTITUTA;

ACCEDUNT

QUAEDAM DE SECTIONIS CAESAREAE ORIGINE ET HISTORIA.

DISSERTATIO MEDICA

QUAM

AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS CONSENSU ET AUCTORITATE

AD SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

IN ALMA FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

LEGITIME OBTINENDOS

SCRIPSIT ET UNA CUM THESIBUS ADIECTIS

DIE XXV. M. NOVEMBR. MDCCCXLIII.

PUBLICE DEFENDET

THEOD. GUIL. PÜTZ

RHENANUS DAHLENSIS.

ADVERSARIIS:

B. HOPMA MED. ET CHIR. DR.
CAR. ODENKIRCHEN MED ET CHIR. DR.
FRANC. ZENS MED. ET CHIR. DD.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXLIII.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

H. F. KILIAN

ET

FR. NASSE

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS

NEC NON

AVUNCULO CARISSIMO

TH. AB HERTMANNY

LIBELLUM HUNC

PIO GRATOQUE ANIMO

CONSECRAT

SCRIPTOR.

Lectoribus quotquot sunt humanissimis

S.

Antequam ad scribendam hanc dissertationem accederem, humanissimi lectores, trium mihi argumentorum fuit optio data, e quibus, quod potissimum eligerem, diutius dubitabam.

Primum enim oblatus mihi fuit psoriasis diffusae et inveteratae casus quidam, quem in clinico nostro curandum acceperam, insignis. Quo in casu squamis, urina ceterisque excretionibus ad chemicae artis leges exploratis effici fortasse hoc potuit, ut et interiori consuleretur huius similiumque morborum cognitioni et eorundem ad curam satis dubiam adhuc ac difficilem certior quaedam expeditiorque commonstraretur via. Verumtamen ad explorationes illas quum non solum temporis multum, sed accuratior etiam quam quae medicorum tironum esse solet requireretur chemiae analyticae scientia, illo ego consilio omisso, auctoritatem secutus *Nassii*, praeceptoris plurimis mihi nominibus laudandi, sed cuius laudem mea verba vereor ut aequent, ad disquisitiones

me iam accinxeram in animalibus instituendas, quaestione proposita hac, num plantarum quarundam veneniferarum alcaloida in cerebrum et medullam spinalem possent transgressa inveniri.

Sed suas quum haberet haec quoque res difficultates tantas, quibus superandis ne chemici quidem adhuc peritissimi fuerant pares: experimentis paucis nullo cum successu institutis hoc ego argumentum et ipsum tamquam quod mearum excederet virium modum, non potui facere, quin mitterem.

Iam interea *Kiliano* professori nostro illustrissimo contigerat, ut tertiam ipse eadem in femina sectionem instituerет caesaream. Cuius quidem sectionis et felicitas fuit tanta, ut salva matre integer in lucem ederetur infans, et tanta est cum gravitate ad describendum facilitas, ut salvis meis viribus integrum me posse de illa edere libellum facile mihi et ipse persuaserim et persuaserit illustrissimi professoris auctoritas.

Qui casus eo profecto est memorabilior, quod non scimus certiore ullo unquam post hominum memoriam factum exemplo, ut medicus obstetricius idem eadem in femina sectionem caesaream ter cum successu perageret.

Etenim unam tantum audivimus feminam *Adametz* nomine, *Kiliensem* quater cum felicitate hoc ipsum subiisse pariendi periculum et bis quidem *Michaeli* medico obstetricio. Ac tertiam sectionem, sed minus hanc prospere constat esse expertas feminas duas, *Mautz* Basiliensem, medico *Burk*-

hardtio, anno 1805 et *Faure*, Aquaesextianam, *Lemaestrio* medico, anno 1811.

Sectionis autem feliciter eadem in femina bis factae exempla, si a fabulosis illis seculi 16. et 17. discesseris, septem tantum adhuc invenies.

Sed iam dixerit aliquis, hoc ipsum de quo agimus exemplum non esse hysterotomiae, sed laparotomiae. Cui responderi sic velim, uteri in secunda et tertia operatione rupturam non tantam fuisse, qua commode potuisset infans, nisi culter adhibitus esset, exire. Quo accedit, quod uteri ruptionem in tali operatione maiore cum periculo quam ipsam sectionem coniunctam puto.

Ceterum totius operationis tam facilis fuit felixque successus, ut, illam si solam describere voluissem, ne deesset consuetum dissertationi volumen, fusius mihi tractanda singula ac non sine summo legentium taedio levissimis quibusque in rebus commorandum fuisset.

Itaque ego rei ipsius expositioni in brevius contractae adiicere quaedam de sectionis caesareae origine et historia constitui, ne, qui aut alienam a suis studiis operationis ipsius accuratiorem cognitionem putant, aut descriptionibus certe puerperii putidis non delectantur egregie, libellum hunc primis statim degustatis pagellis, satietate capti e manibus deponant: quae quidem omnium paene sors est huiusmodi scriptorum, sed quam meum hoc scriptum etsi non audeo sperare esse evitaturum, tamen, ut evitet, plurimum operae dedi.

Iam temperare mihi hoc loco non possum, quin laudem duorum virorum erga me summam clementiam, benevolentiam, munificentiam, *Kiliani* praeclarissimi viri, summe de me meriti et *Birnbaumii*, Doctoris, eruditione pariter atque humanitate imprimis ornati: quibus ego, quod ad conscribendam hanc dissertationem libentissime mihi quidquid opus erat librorum, suppeditarunt, cum publica pietatis testificatione gratias ago quas possum maximas.

Vos vero, lectores humanissimi, valete iam, mihique ac litteris nostris favete!

Scrib. Bonnae ante XI. d. Cal. Novemb. a. MDCCCXLIII.

Enarratur sectio caesarea nuper in clinico nostro a clarissimo Kiliano tertium eadem in femina et matre et infante salvis instituta.

Catharina Charoubel, annorum triginta sex, e gente Heiniana Honneviae nata, qui prope Bonnam est pagus, patrem quidem phthisi pulmonali ereptum sibi vidit undecim annorum aetatem agenti. Mater ad hoc usque tempus sat firmae valetudinis est, septies facilem partum experta, bis passa abortum. Sorores tres nuptae pluries facile feliciterque ediderunt partum.

Catharina ipsa, omnium natu minima, mature didicit pedibus uti, nunquam rhachitide laboravit, sed cito adolevit; eadem tamen multum vexata est scrofulosis ad collum tumoribus, qui et rupti sunt pluries et sua sponte rursus sunt clausi. Nec minus sub octavum aetatis annum vehementer inflammati sunt oculi, cuius inflammationis propria fuerunt symptomata: summa doloris pungentis vehementia, lacrymarum secretio et photophobia, quae tamen sub vesperam quidem minui aliquanto solebat. Sed evanuerunt paullatim hae affectiones ita, ut quo primum menses apparuerunt anno aetatis septimo decimo integram ab omni parte haberet valetudinem. A quo tempore menses quarta quaque hebdomade redibant nec coniuncti cum molestia ulla ac dolore et sat large per ternos dies continuati.

Postquam nupta est annum aetatis agens vicesimum alterum, intra quatuor annorum spatium bis facile et feliciter peperit. Quibus in partubus sine ulla perturbatione et graviditas

et puerperium cessit, nec femina nisi in puerperio priore aliquamdiu abscessu laboravit in mamma sinistra.

Non ita multo post morbo correpta est quodam, quem ipsa arthritidem vocat. Quo in morbo vehementes exorti sunt dolores trahentes in cervice et dorso, maxime in regione sacrali, indeque ad extremitates inferiores transeuntes. Accedebat tanta corporis imbecillitas et defectus virium, ut non posset femina nisi aut sedere aut cubare. Ceterum et functiones naturales optime cedebant nec deerat ciborum appetitus. Intumescentiae ossium et tumores articulorum molesti nulli erant. Sed aegrota minorem se factam esse mox animadvertebat, quamquam nec superiores nec inferiores extremitates aut incurvatae aut contractae erant. Sternum autem arcus instar antrorsum erat deflexum et vertebrae dorsales sinistrorsum prosiluerant.

Hoc in statu anno proximo iterum satis facile et feliciter peperit. Ad quartum vero partum quum ventum esset, medicus post trium dierum labores arcessitus infantis perforationem suscipere coactus est. In quinto, qui paulo insecutus est post, eadem ad partum absolvendum auxilia adhibenda fuerunt. Inter sextam graviditatem, quum unus tantum e tribus, quos vivos ediderat, infantibus ei esset relictus, Coloniam se contulit, ibique scholam adiit obstetriciam eo consilio ut sectione caesarea et perforationis dolorem effugeret et infantem vivum obtineret. Iam vero et instituta tunc rerum exploratio et in ipso partu quae postea facta est certissimorum signorum observatio haud ambigue infantem aliquanto iam antea mortuum esse indicarunt. Quapropter instituta est versio, eaque infans in lucem mortuus editur, in quo tamen putredinis vestigia reperta sunt nulla.

In puerperio, quod iam secutum est, insigni laborabat ventris intumescentia et dolore, coniuncto cum magna siti, vomitu et febri, lochiis cessantibus, e quibus malis aliquanto post feliciter rursus est expedita.

Sectionum duarum priorum descriptio.

Interiecto aliquo temporis spatio septimo loco praegnantem se sensit. Graviditas optime processit et sub finem septimi mensis Bonnam se contulit, ubi sententiam a *Kiliano*, professore illustrissimo, post factas explorationes propositam, qua voluit ille ad infantem servandum sectionem caesaream subiri, statim amplexa et tricesimo die a. 1837 in clinicum obstetricium recepta est.

Quum ante tertiam hanc, de qua nos agimus, sectionem caesaream gravida non potuerit explorari, examinis et explorationis tum maxime primis post adventum diebus institutae quis fuerit eventus accuratius exponere hoc loco in animo est. *)

Gravida exiguae erat staturae, vix quatuor pedum, gracillima, et macie propemodum confecta. Thorax eo, quod ad arcus speciem conformatum prosiliebat sternum, simulque pars spinae dorsalis superior retrorsum nec non sinistrorsum longius procurrebat, valde in brevius erat contractus, et a tertia vertebra cervicali quum inciperet cyphosis, caput antrorsum alte inter humeros descenderat, nimiaeque collum erat brevitatis. Extremitatum inferiorum et superiorum forma et situs nihil habebant, quod ab norma abhorreret, videbantur tamen illae, altitudinis ratione habita, nimis longae, ita ut gravidae sedentis multo minor videretur quam stantis statura. Vertebrae lumbales superiores paululum dextrorsum declinabant, inferiores contra iustam directionem tenebant. Margo inferior costae ultimae a spina ossis ilii superiore novem lineas distabat. Gravidae facies lineamenta tenera quidem, sed valde distincta et speciem prorsus ingeniosam praebebat

---

*) Quae sequitur examinis descriptio depromta est ex: Holscher's Annalen der gesammten Heilkunde Bd. 4. Heft 2. ubi casus hic a Kiliano, professore illustrissimo, accuratius expositus est.

illam, qualem in feminis gibbosis frequentissime invenimus. Sed capitis forma summam habebat aequabilitatem. Vividam apprime se praestabat gravida in omnibus corporis motibus omnibusque sermonibus. Facies colorem prae se ferebat e griseo flavum, capilli fusci, oculi fusci, nitidi, vividi. Satis bona, ut tum res erant, valetudine utebatur, et animi tranquillitate ac fortitudine excellebat. Eadem se tunc questa est multo facilius levioribus etiam motibus et laboribus, maxime in scalis ascendendis defatigari, saepissime pectoris oppressione ac vehementissimis palpitationibus affici, et vel levissimis causis statim maxime perterrefieri.

Nec minus saepius accidere professa est, ut magna teneretur animi aegritudine atque tristitia; ceterum omnes naturae functiones se recte habebant, ciborum appetitus egregius, concoctio ex omnibus quae aderant indiciis videbatur perbona. Sed frigoris inprimis impatiens erat, quo statim capitis et artuum dolor excitabatur vehementissimus.

Infantem moveri saepe aliquo cum dolore sentiebat in parte dextra superiore et sinistra inferiore; quo sensu afficiebatur fere ita, ut ei caput infantis sursum moveri sub costas videretur. Coniunctum cum his rebus semper desiderium erat maximum mittendi urinam et alvum solvendi, nec non saepe strepitus in regione lumbali animadvertebatur. Sedere diutius, praesertim corpore antrorsum deflexo minime poterat, quo fiebat, ut pro sua vividitate identidem fere sedem situmque mutaret suum.

Mammae e duorum mensium spatio plenae erant et attentae, nec mediocrem afferebant dolorem, qui tamen tunc quidem multo erat diminutus. Ventrem habebat aequabiliter extensum atque attentum, cutemque eius e prioribus graviditatibus valde rugosam. Fossa umbilicalis expleta. Uteri fundus usque ad scrobiculum cordis porrectus et super ossa pubis sacci ad instar erat suspensus. Hoc in sacco magna pars motuum infantis sensu percipiebatur, ita ut hoc loco ei infans saepe extra uterum positus videretur.

Parte dextra et superiore corpus quoddam cognoscebatur magnum, rotundum, prementi manui resistens; sinistra particulae quaedam minores celeriter parietem abdominis pulsantes; inferiore parte supra regionem inguinalem sinistram digitis contrectantibus item videbatur corpus adesse magnum, rotundum, durum, sed pressui cedens, quod caput esse iudicandum erat.

Introitus vaginae multum retrorsum vergebat; ipse una cum vagina, quantum per pelvis angustias licebat, amplissimus, laxus, mollis, muci viscidi secretione larga obtectus. Segmentum uteri inferius crassum, plenum, sed idem molle, laxum, cum fluctuatione perspicua, sic tamen, ut nulla cognosci posset infantis pars. Portio vaginalis uteri longa adhuc plures lineas; orificium crassum, turgidum, clausum, cum fissuris pluribus altioribus, quare ipsum nodorum sensum praebebat. Digito facile ad omnes pelvis partes perveniri poterat, excepta cavitate ossis sacri valde curvati. Ossa pubis rostrum formabant, pollicis fere longitudinem aequans cui a posteriore digiti indicis licebat immittere apicem. Promontorium magis in sinistram pelvis partem spectabat et deorsum alte in pelvim depressum erat ita, ut in externarum partium exploratione ossa ilium multum retrorsum prominentia, os sacrum magnam cavitatem formans possent cognosci. Propter singularem spinae dorsalis curvaturam anus proclivis, planissimus videbatur. Ambae pelvis partes aequam altitudinem tenebant.

Mensurae hae sunt:

Distantia promontorii ab osse pubis dextro . .		2 p.	6 lin.
„ promontorii ab osse pubis sinistro . .		1 „	9 „
Diametrus transversa introitus pelvis		3 „	— „
„ recta exitus pelvis		3 „	— „
„ transversa exitus		2 „	— „
Distantia utriusque spinae iliacae anterioris superioris		9 „	6 „
„ „ trochantris		9 „	10 „
„ trochantris dextri a plano horizontali	2 ped.	3 „	6 „
Distantia trochantris sinistri	2 „	3 „	3 „

Distantiae spinarum anteriorum superiorum a plano horizontali eandem rationem praebent.

Distantia arcus pubis a plano horizontali	2 ped.	1 poll.	3 lin.
„ ab apice ossis coccygis . .	2 „	— „	— „
„ eadem ab processu spinoso vertebrae lumbalis V . .	2 „	— „	— „
Abdominis circuitus maximus . . .	3 „	1 „	9 „
Corporis totius altitudo	4 „	3 „	— „

Proprium fuit gravidae huius, quod ossa si tangendo premebantur, magnopere dolebant; id quod postea, inter partum praecipue, planissime apparebat. Ceterum quum cibo vesceretur sat miti et bene nutrienti, nec malo eadem frueretur vino rubro, ad valetudinis integritatem haud multum desiderabatur. Ad removendas ventris propendentis molestias fascia ventri apte applicata est, idque magna cum gravidae utilitate.

Die 19. mensis Septembris e. a. primi exstitere dolores. Iam operationem singillatim hoc loco exponere nolo; quam qui accurate expositam legere voluerit, dissertationem adeat Guil. Küpperi. *) Pauca tamen addere placet.

Sectio in linea alba facta est ab umbilico usque ad locum pollicem unum a symphysi ossium pubis distantem, et discisso uteri parenchymate dexter infantis humerus apparuit in vulnere iacens. Infans deinde haud facili sane negotio exemtus est, qua in re, ne omentum aliquantulum prociderct, caveri non poterat, nec multo post placenta, nulla fere opera, remota est. Inter operationem sanguinis copia minime mediocris effusa erat; uterus autem eiecto infante statim sese ita contraxerat, ut effusio sanguinis mox cessaret. Tres suturae nodosae acubus *a Graefio* commendatis factae, vulnus prorsus ut clauderetur, effecerunt. Suturarum singularum inter-

*) Sectionis caesareae nuper in clinico nostro obstetricio felici cum eventu institutae historia, quam etc. Guil. Küpper Rathensis-Rhenanus. Cum II tab. lithogr. Bonnae 1838.

valla secundum *Graefii* exemplum fasciis emplastro adhaesivo illitis obtecta sunt, excepto infimo, e quo vulneris secretiones effluere possent. Infans masculus erat, validus, bene nutritus, qui simulac natus est, alta voce clamavit ac paene prius auditus quam visus est. Pondus fuit septem librarum.

Insequentibus diebus puerpera pluries mortem instantem vidit: postridie enim, quam operatio instituta est, omenti pars aliqua pugni magnitudinem aequans inter vomitum per vulnus expulsa apparuit; quae pars deinde propter vulneris rationem non reposita, sed quo in suppurationem transire coepit die eiusdem mensis 27., postquam pedunculus vulneris marginibus compressus ligaturam applicatam accepit, abscissa est. Vulnus iam sub diem mensis Octobris vicesimum prorsus in cicatricem abierat et puerpera die 11. m. Novembris cum infante e clinico sanata discessit.

Anno 1840 die 11. mensis Augusti femina haec eadem iterum in clinicum nostrum obstetricium recepta est, eandem pariendi viam initura. *) Pelvis ratio ab ea, quae prius fuit, non admodum differebat; venter tum iterum multum propendebat.

Die 23. ei. m. quinta hora matutina prima visa sunt futuri partus indicia. Undecima demum hora dolores ad iustam pervenire vehementiam coeperunt. Omnia tunc optimam secundi eventus praebuere spem, et partus instans omnino priori simillimus videbatur futurus. Sed foeminae habitu et faciei colore subito mirum in modum mutatis, nova exploratione ventrem cognitum est omnino aliam atque antea habere formam uterique figuram nec rotundam nec certis finibus circumscriptam esse. Dextra parte sub ipsis paene ventris integumentis iacebat ita, ut facilius quam antea cognosci posset, foetus caput durum, rotundum. Dolores tum solito

---

*) Hunc casum descripsit cl. Kilianus in: Organ für gesammte Heilkunde I. Bd. 3. Heft. Bonn 1841.

minus ventrem intendebant et digitorum tactum ille ferre sine summo dolore non poterat. E qua re quum rupti uteri suspicio orta esset maxima, operatio quam fieri poterat celerrime instituta est. Iam dissectis abdominis tunicis et musculis, ingentique sanguinis copia effusa, apparuere velamenta ovi admodum tensa et plane integra. Hisce igitur apertis uberrimoque amnii liquore effuso primum brachium infantis iam defuncti sinistrum, tum caput et ceterae partes protractae sunt ex utero. Multa sanguinis coagula subsequebantur, atque placenta facillime paullo post remota est. Ruptura uteri in anteriore parte sita longitudinem habuit pollicum quatuor vel quinque; cicatrix primae incisionis in utero plane cognosci potuit. Dein vulnus in abdominis integumentis quatuor suturis nodosis occlusum et rite fasciis emplastro adhaesivo illitis ut antea obtectum est simplicissime, omissa fascia abdominali.

Quamquam puerpera inter operationem infirmissimam se esse sentiebat, ac pluries animi deliquio proxima erat, puerperium tamen et vulneris curatio tam feliciter cedebant, ut intra viginti dierum spatium cicatrix plane sanata esset, nec multo post ipsa, ne tertiam contraheret graviditatem admonita, sana et prorsus restituta domum dimissa est.

Tertiae sectionis descriptio.

Facere hoc loco non possum, quin felicissime a natura comparatum esse animadvertam, ut pericula et dolores peracti celerrime in oblivionem abeant. Cuius rei exemplum haec femina praebet illustrissimum.

Nam non modo discedenti ipsi feminae, sed etiam marito eius proposita sunt pericula, e quibus illa iam bis evasisset, quibusque in nova graviditate obnoxia foret, datumque consilium est, ut in futurum coitu abstinerent. Iam vero post non magnum temporis intervallum maritus *Kilianum*, professorem nostrum ill. convenit, ab uxore se querens identidem ad exercenda matrimonii officia instigari; qui questus, quum

pluries iterarentur, nihil reliquum erat, quam ut prorsus suo quidquid vellent arbitrio facerent. Ita accidit, ut intra biennium bis fierent abortus. Ceterum inconcussa utebatur femina valetudine et magna cum diligentia rebus administrandis domesticis operam dabat.

Sub initium mensis Decembris anni praeterlapsi denuo se gravidam esse quum ex aliis sat notis signis tum ex eo intellexit, quod menses non iam redibant. Per totum graviditatis tempus fruebatur integra valetudine, praeterquam quod aliquamdiu morbo laborabat quodam epidemico, cuius symptomata praecipua tussis siccus et vehemens, destillatio et magna corporis imbecillitas. Ineunte Maio infantis motus femina primum sensit, eoque ex tempore et saepissime et vehementissime. Partum non ante finem Augusti mensis futurum putans, tertium tunc sub eius mensis initium petiit, ut in clinicum obstetricium reciperetur et recepta est quinto ei. m. die.

Vicini partus signum quum adesset nullum, examen et exploratio non statim instituta sunt; at subito praeter omnium expectationem sexta hora vespertina septimo die Augusti mensis dolor exstitit, in regionibus inguinalibus tali indole, ac si alvus solvenda esset. Qui dolor cum magna caperet incrementa, in lectum se illa recepit et brevi veri dolores exorti sunt. Sub septimam horam explorantibus visa est femina facie pallida, frigido sudore obducta, doloribus non ita vehementibus per certa intervalla se excipientibus. Pulsus arteriae radialis parvus, debilis, acceleratus, nonaginta ictuum.

Exploratione interna illico instituta vagina satis lubrica, rugosa, muco tenaci obtecta, et angustia pelvis ea quam supra descripsimus est inventa. Uteri orificium aut partes infantis praeiacentes nullo modo attingi poterant. Externe exploranti venter cicatricibus duabus fuscis latis multisque rugis obtectum se offerebat, et tam multum supra symphysin ossium pubis prominentem, ut formam sacci, cuius infima pars satis acuta, prae se ferret. In regione dextra iliaca

caput infantis digitis bene tangere licuit, et aeque bene in hoc ipso latere minores aliquas infantis partes. Auscultando pulsus infantis cordis celerrimus in toto latere sinistro accurate auditus est. Praeterea in regione epigastrica abdomen non ita tensum digitis prementibus restitit, quam in regione mesogastrica, ubi fundus durus et rotundus accurate distingui potuit. Hisce explorationibus cognitum est, uterum iterum disruptum et infantem in abdomen processisse. Quare doloribus satis magnis redeuntibus operationem quam celerrime institui necesse erat.

Instrumentis igitur omnibusque rebus necessariis rite paratis pariens optima animi conditione affecta in notissima sibi mensa illa fatali collocata est. Praesente magno medicorum et tironum numero per horam octavam et dimidiam operatio ipsa instituta est. *Birnbaumius* et *Nettekovius*, Doctores, solis manibus ventrem premendo intestina retinere studebant, et tum illustrissimus Professor *Kilianus* paratissima manu scalpellum, cui acies convexa, ad sinistrum abdominis latus admovit, fecitque iuxta primam cicatricem incisionem, qua abdominis integumenta ab umbilico ad symphysin fere ossium pubis sunt disiuncta. Peritoneo tum abdominali caute dissecto velamenta ovi tamquam vesica magna ex viridi coerulea fluidumque continens in vulnus se ingesserunt. Ex apertis velamentis magna effluxit liquoris copia et tunc brachium infantis sinistrum in conspectum venit. Sed ad infantem extrahendum uteri scissura, utpote angustior, non satis erat accommodata: nam quum primum forcipe, deinde solis manibus tentata extractio esset, nihil tamen inde profici potuerat, neque nisi utero utrinque pollice dimidio longius inciso, infans praemisso sinistro humero et capite ex utero exemtus est. Qui quum puer admodum validus altum, ut primum uterum reliquit, sustulisset clamorem, funiculus umbilicalis statim dissectus, nec multo post placenta et ipsa remota est.

Uterus continuo se rite contraxit: neque tamen extemplo vulnus coeptum est claudi, sed prius a plurimo qui aderat

sanguine et amnii liquore diligenter liberatum est. Tum demum quatuor suturae nodosae adhibitis acubus *Graefianis* applicatae et singulis illis intericctae sunt fasciae emplastri adhaesivi, a dorso in partem anticam progredientes, totumque cingentes corporis ambitum, quarum fines in ipso vulnere decussationem inibant. Vacabat emplastro intervallum infimum, cui vulneris angulo plumaceolum impositum est, ut vulneris secretio haberet, qua efflueret; tum totum illud plumaceolis et linteo carpto obtectum est, quae minoribus fasciis ipsa continebantur. Omnia haec intra horae fere dimidiae spatium fuerant absoluta.

Femina quidem operationis acerbitatem dici vix potest, quanta cum constantia ac virtute toleraverit. Attente singulas operationis partes observabat, suamque manum ipsa ad retinenda intestina adhibere volebat. Dolori ita assuefacta videbatur, ut non nisi inter extrahendum foetum et acus transfigendas doloris sensum exprimeret. Operatione prorsus absoluta, large evomuit.

Diametros infans habuit has:

Diametrus capitis maxima	5 poll.		
„ „ recta	4 „	4 lin.	
„ „ transv. maxima . . .	3 „	6 „	
„ „ „ minima . . .	3 „	3 „	
„ „ perpendicular. . . .	3 „	7 „	
„ humerorum	4 „	— „	
„ coxarum	4 „	— „	

Pondus infantis effecit 6 libras, placentae 1 libr. Longitudo funiculi umbilicalis 16 poll.

Sed de puerperio quid dicam? Non sine magno incommodo meo tam celeriter vulnus sanatum est, tamque felicem puerperium habuit successum, ut, quum qui primam descripsit sectionem viginti quartae formae paginas ipsius puerperii descriptione expleverit, ego contra hac re paginas formae octavae vix duas possim occupare. Et omnino affirmare quis possit, feliciorem celerioremque sanationem puerperiumque

hoc ipso iustius cedens vix ullum posse esse in votis. Quapropter paucis tantum verbis, ea quae in hoc puerperio memoratu digniora videantur, exponere animum induxi.

Statim post absolutam operationem puerpera adeo erat tranquilli atque securi animi, ut nihil rei factum videretur. Pulsus tenuis, quietus, ictuum fere 75. Praebitae autem sunt ei guttae quindecim Tinct. opii simplicis. Per noctem saepissime obdormivit, sed fere semper expergefacta mox est, quod denuo se secari somniasset. Idem somnium primis diebus saepius redibat. Postridie sub tempus matutinum ex vulnere plus capiebat doloris, neque tamen tantum, ut impositae vulneri glaciei aliusve rei usus necessarius esset: sicuti etiam per totum curationis tempus sanatio tam prospere cedebat, ut ne minimum quidem externis in partibus institui ad inflammationem aut moderandam aut excitandam opus esset. Interne modo pillulae glaciales sumtae et aqua frigida bibenda est praebita. Genitalibus spongia apposita est calida, humida. Dolores post partum nullius fere momenti.

Primo post operationem die recens natus Caesar semel mammis admotus est, ab eoque tempore quotidie tali modo, ut, si non omnem, at plurimum certe a matre victum acciperet. Conatus vomendi saepe redibant, sed non ita, ut verus existeret vomitus, nec minus per octo amplius dies ructibus vehementer cruciabatur. Ad alvum solvendam, e qua re plurima omnino in hac operatione pendere videntur, clysma adhibitum est, quo facto iam proximi diei tempore vespertino viginti quatuor horis post operationem alvus faeculenta est excussa.

Pulsus hoc die maior fuit celeritas et durities, quippe qui centum et decem ictus per sexagesimam horae partem haberet; dolor tamen vulneris modicus erat, omnesque puerperii functiones felicissime procedebant. Lochia rite fluebant, cutis fervida et humida et mammis iam maior erat lactis ubertas.

Sic sanatio nutrimentis idoneis a puerpera iam tertio

post sectionem die magno cum appetitu sumtis, laetissimos fecit progressus. Eodem tertio die potus e coffeae fabis parati patella, quam maxime appetebat, permissa ei est. Quinto die, quum fasciarum permutatio fieret, pars superior vulneris clausa iam erat. In inferiore tantum angulo vulnus prorsus erat apertum, cuius tamen et pus optimum et granulatio bona: qua de causa superior ligatura remota est. Inde ab eo tempore alvus saepius et per decem quidem dierum spatium quotidie quater sexiesve soluta est. Cibum magis nutrientem quum sumeret, corporis vires valde adauctae sunt. Die octavo ultima ligatura et ipsa est remota, nec, nisi parvis emplastris adhaesivis vulnus continebatur. In inferiore vulneris angulo, quoad plane in cicatricem abiissent partes superiores, plumaceolum impositum manet.

Iam sexto decimo die puerpera ad tempus lectum reliquit, sensimque etiam inferior vulneris angulus est clausus, ac corporis vires tanta ceperunt incrementa, ut quotidie per plures horas mox lecto carere posset. Sic factum, ut die 13. m. Sept. prorsus recuperata valetudine cum puero vigente laetissimo animo e clinico abiret suosque ad penates reverteretur.

Quaedam de sectionis caesareae origine et historia.

Gravioris cuiusque rei scire, quae sit origo et historia, quum non possit non omnium interesse eorum, qui veram appetant doctrinam: de origine sectionis caesareae eiusdemque historia operae pretium fuerit, quid tandem aut coniiciendo aut humanae memoriae premendo vestigia erui possit, cognoscere. Qua in re quoniam memoriae auxilio destitui nos ita fatendum est, ut lateant eius, qui sectionem caesaream invenerit primus, et nomen et aetas et patria: totius commentationis initium a coniectura faciendum videtur.

Et iam hoc extra controversiam est positum, non potuisse homines ad ventris sectionem foetus servandi causa instituendam adduci, nisi certis quibusdam illi aut meditationibus aut observationibus fuissent antea edocti, foetum etiamsi in nascendo rationem a natura praescriptam secutus non esset, vitae tamen posse esse participem. Meditationem autem quamquam ad excolendam hanc artem vel plurimum, tamen haud multum ad inveniendam valuisse, ut credam, universa me movet consuetudo humani ingenii. Quare ad observationes confugere coactus, hae ipsae iam quales fuisse putandae sint, quaero.

Sed ne res multis inter se partibus distinctas confundere videar, antequam ad quaerendum accedam, quaestionem hanc totam animadvertendum est esse bipertitam. Fieri enim et in mortuis et in vivis caesarea sectio potest: quarum sectionum est ea inter se ratio, ut quum priorem illam, hanc posteriorem fuisse in rerum historia statuendum sit, non tamen ex

altera alteram continuo credendum sit esse profectam; sed viam tantum facta in mortuis sectio ei quae fit in vivis aperuerit, paraverit, munierit necesse est, quam tamen haec ipsa viam nisi novis observationum luminibus illustratam inire revera non potuit.

Quae quum ita sint, quaestionis huius nostrae pars prior in eo versabitur, ut de origine quaeramus sectionis caesareae in mortuis institutae.

Iam ad secandae mortuae feminae cogitationem excitandam duo omnino opus fuisse intelliges haec, primum ut scirent homines, posse ipsius matris vitae vitam foetus in utero versantis superstitem esse; deinde ut persuasum haberent, eiusdem foetus vitam, etiamsi naturali via editus ille non esset, tamen servari posse incolumem. Hoc igitur utrumque unde disci facillime potuerit quaerere id est, in quo quaestionis nostrae vertitur cardo.

Ac fuerunt, qui cogitarent de consueta illa apud veteres cadaverum combustione, ad eamque ipsam sectionis caesareae originem referrent. Quorum tamen opinio quam falsa sit, vel inde collegeris, quod foetui si affuit vita, hanc eripi ipsa vi ignis necesse fuit: neque hoc aliter fieri in animalibus gravidis incendio disruptis, multorum probat exemplorum auctoritas. Quapropter hac missa sententia aliam circumspiciamus eamque veriorem oportet.

Valerius Maximus Dictorum factorumque memorabilium libro I. n. 5 de Gorgia Epirota haec narrat: „Gorgiae quoque Epirotae, fortis viri, clara fuit origo, qui in funere matris utero elapsus, inopinato vagitu suo lectum ferentes consistere coegit, novumque spectaculum patriae praebuit, ex ipso genitricis rogo lucem et cunas assecutus: eodem enim momento temporis altera iam fato functa parit, alter ante elatus quam natus est.“

Exemplum igitur habemus hoc partus sua sponte post mortem matris facti, quod, si quaeris, num ad rem nostram faciat, facile erit responsum. Nimirum mortua matre foetum

viventem esse posse qui sciunt, licet ad ipsam nondum adducti sint sectionem caesaream, ad hanc tamen inveniendam aliquanto iam ceteris propius accesserunt. Quid enim? Post mortem matris de foetu vivente certior factus pater progeniei amantior nonne putandus est commoveri potuisse, ut quod poterat sine incommodo matris fieri, dissecto ventre carissimam sibi infantis vitam servare studeret? Quam vitam aperto ventre expeditam etsi integram fore non certo sciebat, tamen cum, quominus tentaret id, quod tentare sine damno licebat, quid erat, quod prohiberet? Id autem si semel tantum cum prospero eventu tentatum est, communem multorum in usum abire potuisse nemo non videt. Sed utcumque hoc erit, non omnibus ea de re posse persuadere me puto propterea, quod licet sint partus post mortem matris ut ita dicam spontanei et in hominibus et in animalibus non rara exempla, nimis tamen in ratione hac tota casus dominari videtur, ad quem si via alia patet, non par est confugere.

Hinc iam quid sit sentiendum de observationibus aliis quibusdam, quas fortuito oblatas veteres tradunt, per se satis apparet. Afferuntur enim animalium exempla, perfosso a venatoribus ventre vivum partum edentium: quae quidem exempla, quamquam sunt ita comparata, ut non necessario foetum nec una cum matre, nec per ventrem si editus fuerit, exstingui, sat plane ostendant; tamen non magnam ad persuadendum vim habent propterea, quod et fortuita sunt illa, et quae fiunt in animalibus ad homines transferre, nisi sis in his idem expertus, non facile audeas.

Alia vero ratio earum est observationum, quas fieri in animalibus mactatis potuisse vel plurimas quum ex aliis rebus tum e lege intelligitur illa, quam latam a Numa Plutarchus memoriae prodidit. Lex autem haec est: „Si qua vidua intra decimum mensem a morte mariti iterum nupserit, vaccam praegnantem immolato.“

Talibus igitur in immolationibus observare sine dubio saepissime licebat vaccas exstincta vita vivos in utero foetus

gerentes, quibus per ventrem via erat ad lucem paratissima. Quid ergo? Num hinc statuendum est, sectionem caesaream ortam? Non puto. Scilicet, quod antea iam animadverti, ab animalibus ad homines non tam facilem transitum esse, idem in illa cadit exempla. Quare his quoque omnibus valere iussis observationibus, aliam indagemus eandemque non fortuitam sed perpetuam per plura saecula, non in animalibus sed in ipsis hominibus factam.

Atque auspicato se mihi offert Aegyptiorum antiquissimus ille condiendi cavera mos, quem morem fuisse eiusmodi, ut optime ipsa sectionis caesareae origo inde repeti possit, accuratius perpensa re, statim patebit.

Nimirum et fieri potuit et factum saepissime esse probabile est, ut gravidae feminae mortuae condirentur et ipsae; quod si fiebat, quum una cum reliqua intestinorum parte Aegyptii uterum quoque solerent eximere, discindere, condire, quid erat consentaneum magis, quam edoceri illos de foetus in utero integritate? Iam vero id qui edocti sunt, si valent ingenio, longius progrediantur necesse est adeo, ut mortuarum gravidarum mulierum iam non solum ad condiendum corpus sed etiam ad foetum servandum ventres aperiant.

Apud Aegyptios igitur sectionis in mortuam matrem peractae prima habemus initia, ac si eiusdem sectionis quaedam etiam apud alios populos vestigia reperiuntur, ab illis hos credere licet quidquid habent traditum accepisse.

Hominum autem immolandorum consuetudini illi antiquissimae qui tribuunt tantum, ut inde sectionis caesareae originem ducendam putent, eorum sententiae haud facile me socium adscripserim; quippe ad infantes potissimum pertinebat illa, et si quando ad homines provectioris aetatis, minime tamen aut rarissime ad mulieres ventrem ferentes.

Quid ergo apud ceteros populos? Ovidius de Aesculapio haec:

Non tulit in cineres labi sua Phoebus eosdem
Semina sed natum flammis uteroque parentis

Eripuit, geminique tulit Chironis in antrum. *)

Simile quid de Baccho narrat Lucianus. **) Quas duas res etiamsi pro fabulis habeas, tamen hoc inde consequitur, partum ventris sectione factum apud Graecos non iam fuisse incognitum; talem enim partum nisi sciebant illi fieri posse, non video, quomodo factum eum esse in Aesculapio et Baccho potuerint fingere.

De Iudaeis facile iudicium erit, si Tacitum audieris narrantem, invaluisse apud illos consuetudinem corpora condiendi more Aegyptiorum, eamque consuetudinem reputaveris facillime invalescere potuisse eo, quod in ipsa Aegypto illi per longius temporis spatium fuerant versati; quamquam ad posteriorem quidem aetatem non integram hanc consuetudinem mansisse certa sunt quaedam indicia.

De Romanis iam pro me celeberrima lex illa loquatur Numae regis, in hanc sententiam scripta: „Mulier, quae praegnans mortua, ne humator, antequam partus ei excidatur." Quae lex quam probe sit observata, numero demonstratur eorum, qui sectione matris servati dicuntur; atque eo modo si natus quis fuerat, accepisse id tamquam faustissimum omen traduntur Romani. Ut Plinius: „Auspicatius, inquit, exsecta parente gignuntur." Et natos hoc modo memorant Scipionem Africanum maiorem, Manilium illum, cuius in ultimo bello punico praecipuae partes fuerunt, Iulium Caesarem, aliosque, nec minus Caesones constat e nascendi ratione nomen invenisse.

A Romanis ad populos recentiores lex illa translata in omnibus fere legum codicibus exstat. Quin etiam Mahomedanorum libri sacri, quamquam corpus exanimatum vetant ullo

---

*) Metamorph. Lib. II v. 628 seq.

**) Dialog. Deor. IX Neptunus et Mercurius: *Καὶ ἡ Σεμέλη μὲν διαφθείρεται ὑπὸ τοῦ πυρός. ἐμὲ δὲ κελεύει ἀνατεμόντα τὴν γαστέρα τῆς γυναικὸς, ἀνακομίσαι ἀτελὲς ἔτι αὐτῷ τὸ ἔμβρυον ἑπταμηναῖον.*

modo violari, tamen praegnantis feminae mortuae sectionem foetus conservandi causa institui iubent.

Sed his rebus omnibus cognitis, quis est, quin miretur, quod, quum antiquissimis temporibus pariter ac media aetate creberrime factum audiamus, ut foetus vivus ac salvus e mortua matre exsecaretur, recentior tamen aetas inde ab eo tempore, quo primam in vivis sectionem caesaream scimus susceptam, paucissima tantum praebet illius rei exempla? Quid? Si tantum clarissimorum virorum numerum videmus hoc ipso modo nobis servatum, quantam ignobiliorum hominum existimandum est sic natam multitudinem, quorum hominum aut vita mature aut post cum vita nomen exstinctum est!

Ut paucis dicam, foetus, e mortua matre exsecti exempla memoria recentior minime multa suppeditat, ac iam animum subit suspicio, matres illas illis temporibus aut omnes aut longe plurimas speciem tantum mortis prae se tulisse. Quae quidem suspicio optimorum quorundam medicorum in animis tam altas egit radices, ut *D'Outrepontius* prorsus infantem vivum e mortua matre unquam esse exsectum neget. Sed nimium id esse non est quod demonstrem, quum foetum matri posse esse superstitem exempla doceant, ut e tabula *Heymanniana* vides *), certissima, neque id minus probare videantur animalia gravida post amissam vitam vivos in utero gerentia partus.

Facile intellectu omnino est, maximi momenti in hac re rationem esse ipsam, qua mater perierit, nec matre virium consumptione mortua tantum adesse spem foetus servandi, quanta adest, si illa repentina quadam ac gravi nervorum affectione ut terrore vel gaudio ad mortem rapta interiit. **)

---

*) Die Entbindung lebloser Schwangern mit Beziehung auf die lex regia. Coblenz 1832. 8.

**) Praetermittere hoc loco non possum, quin commemorem dissertationem, quam de Morte gravidarum, partui proximarum et par

Secata autem etiam nostris temporibus feminarum esse corpora mortem simulantia, eademque ad vitam inter ipsam sectionem esse revocata, id quae ostendant non desunt exempla, quorum plura in libro suo affert *Reinhardtius* *) horrore plenissima.

Exemplum imprimis memoratu dignum ac paene mirificum *Loderus* expertus est Ienensis, quod quidem exemplum non ipse descripsit, sed alii referunt auctores tam certi, ut eis fidem denegare non liceat.

Erat enim Ienae lege constitutum, si quae puellae extra matrimonium graviditate affectae ipsoque in partu mortuae essent, earum ut corpora anatomiae traderentur. Accidit autem, ut molitoris cuiusdam prope ab urbe habitantis filia, pulcherrima, honestissima, generosissima, turpissimi hominis in manus illapsa, graviditatem contraheret, eademque ipsi partui proxima prae nimio animi dolore in morbum incideret gravissimum. Iam tum haec *Loderum* iubet arcessi, eumque per Deum immortalem rogat, orat, obsecrat, ne se mortuam in anatomiam daret: quod si factum esset, prae terrore se vel e morte excitatum iri. Quid deinde *Loderus?* Nimirum bono ac securo iubet animo esse, neque tamen eo minus, per insaniam quandam illam esse locutam putans, postquam vitam efflavit, corpus Ienam transferendum curavit. Ubi quum magna medicorum ac artis medicae tironum adstante frequentia in eo esset, ut ipsam sectionem institueret, admovissetque iam ventri cultrum, en subito puella aperit oculos, manus sublatas torquet, verba fundit quaedam obscura, et animam tunc non ut antea redituram exspirat. Qua re tantopere perturbatus dicitur *Loderi* animus, ut ipse vehemen-

---

turientium conscripsit Ed. Plange Bonnae 1843. qua in dissertatione nonnulla, quae significata a me hic tantummodo sunt, accuratius exponuntur.

*) L. F. Reinhardt der Kaiserschnitt an Todten. Tübingen 1829. 8.

tissimo morbo correptus per multos annos valetudine laboraret.

Hodie quidem, opinor, constat, non fere nisi una hora foetum dum in utero continetur matre diutius vivere posse, et, si quando accidisse dicunt, ut vel quarta et vicesima hora post mortem matris foetus ex utero salvus extraheretur, id aut idoneis auctoribus destitutum est, aut est ita comparatum, ut tamquam quod semel acciderit, de regulae integritate detrahere quidquam non possit.

Hactenus de sectione caesarea in mortuis instituta; iam transeo ad alteram quaestionis partem, quae in eo est posita, ut de origine et historia quaeratur sectionis in vivis susceptae.

Significavimus supra, sectionem in mortuis factam etsi viam necesse sit ad alteram sectionem parasse, non tamen tantum potuisse efficere, ut continuo haec inde existeret. Opus enim fuit, ut, novis observationibus edocti, ventris sectionem in vivis salva vita posse fieri cognoscerent. Atque ad hoc ipsum cognoscendum, quum non contigerit mihi, ut tam idoneam qualem supra habuimus opportunitatem reperirem hominibus per longius temporis spatium perpetuo oblatam, acquiescendum erit in eis, quae fortuito et rarius observata secandae vivae mulieris cogitationem potuerint movere. Nec scio an huc maxime videantur illi casus pertinere, quibus factum est, ut hominum ventres aut in proeliis gladio dissecarentur aut cornibus scinderentur bestiarum: quibus e casibus disci videlicet poterat, ventris sectionem non adeo esse periculosam, ut incolumi vita illa fieri non posset; sed ut ne ipsius quidem uteri sectionem plus damni afferre scirent quam sectionem ventris, eosdem illos casus opus erat in gravidis feminis fieri ita, ut una cum ventre uterus rumperetur: quod ut potuit accidere, sic accidisse revera non nulla docent exempla.

Haec autem omnia homines si erant experti, quum ex mortuarum sectione foetus per ventrem editi incolumitatem

iam ante cognossent, ad excitandam vivae feminae secandae cogitationem nihil erat, quod desideraretur.

Ceterum tamen huic operationi duo potissimum fuerunt, quae quominus in hominum usum adduceretur diutius obstarent. Primum enim gravidarum feminarum summa semper erat apud omnes populos sanctitas, quae si vel in mortuis ne sectio fieret, impedimento erat, quanto magis fuerit in vivis necesse est? Deinde ars obstetricia tamdiu tamquam foetus in utero tenebris obruta iacebat, ut ad hanc ipsam in clariorem lucem protrahendam paene putaveris sectione caesarea opus fuisse. Quo factum est, ut naturali via egredi infantem non posse, homines sibi non prius possent persuadere, quam exhaustis viribus mater morti iam proxima esset. Hinc vero repetenda est causa, cur de instituta hac sectione neque ex antiqua neque e media aetate ullus ad aures nostras sit nuntius allatus. Nam sectionem caesaream qualem nos hodie fieri videmus, si non invenisse primus, at primus post hominum memoriam instituisse Iacobus illo dicitur *Nufferus*, quem tamquam ducem atque antesignanum et venerati et secuti sunt caeteri.

Nufferus hic, Helvetius, Thurgoviensis, *ὀρχοτόμος*, quum uxorem amatissimam diu partus doloribus laborantem vidisset, nec iam ullam foetus via naturali edendi relictam spem esse cognosset, magna cum animi fortitudine arrepto cultro liberasse illam a suo onere felicissime dicitur anno 1500. Neque tamen haec res cui multae feruntur fabulae admixtae, certam ab incorruptis historiae monumentis habet fidem. Ut enim illius aetatis scriptores omnibus fere rebus fabularum speciem induere consueverunt, ita etiam *Nufferum* narrant, pluries postea eodem artificio expedivisse uxorem, adeoque hanc ipsam artificio illo fuisse delectatam, ut alio modo prorsus iam parere nollet. Sed haec utcunque se habent certum est, non ante annum 1500 a scriptoribus sectionem caesaream in vivis factam commemorari.

Iam inter eos, qui primi de hac operatione scripserunt, eamque quam maxime voluerunt divulgatam, *Franciscus* est

Russetus, cuius de hysterotomotocia libro *) quindecim exponuntur optimo cum successu a tonsoribus quibusdam paganis susceptae operationes, quarum quidem in una eademque femina institutae sunt sex. Adfuit autem nunquam operationibus ipse sed eas ex aliorum tantum vel senum fide dignorum, vel sectarum feminarum, vel qui operationem instituerant, chirurgorum cognovit testimoniis.

Alter sectionis caesareae praedicator fuit ac sospitator acerrimus Casparus Bauhinus, qui in libro supra citato ea quae de *Nuffero* accepimus primus memoriae prodidit, librumque novis quibusdam huius operationis iisque non magis certis auxit historiis, quas ipse collegerat.

In eundem hunc locum recipiendus est *Theophilus Raynaldus* **), theologus societati Iesu adscriptus, qui novas enarravit operationes tredecim, harumque sex in una eademque femina institutas. Quibus casibus, ut videas ipse, quanta sit fides, exemplorum illorum ultimum huc libet transcribere: visam sibi Flexiae apud Andegonos mulierem, quae se ter caesam salvo foetu profiteretur, narravit homo de societate nostra, et rem esse extra dubium sancte confirmavit."

Roonhusius medicum quendam refert sectionem caesaream sua ipsius in coniuge septies esse exsecutum, nec non professus est *Thomas Bartholinus*, Parisiis chirurgi cuiusdam se cognosse uxorem, quae hanc operationem quinquies tulisset, et Scipionem Mercurialem ***) si legeris, intelliges, temporibus

---

*) Hysterotomotocia Francisci Russeti gallice primum edita, nunc vero opera Caspari Bauhini latine reddita, multis historiis in appendice locupletata. Basileae 1586. 8.

**) De ortu infantium contra naturam per sectionem Caesaream etc. Lugduni 1637. 8.

***) In ei.: „la comare raccoglitrice", Venetiae 1601, pag. 192, postquam narravit, sese in Gallia haud procul a Tolosa duas feminas vidisse, quibus foetus vivi ex abdomine exsecti fuerunt, adiicit: questo so io chiaramente, perche ho veduto le cicatrici

illis a multis chirurgis saepius sectionem ventris institutam esse, quam hodie venaesectionem nonnulli instituant.

Sed sectionis caesareae minime omnes illius aetatis medicos tam graves exstitisse defensores ac laudatores documento esse potest *Pareus* ita scribens: „caeterum non possum satis mirari eos, qui sibi visas mulieres affirmant, quibus non semel abdomen cum subiecto utero rescissum sit ad foetum, nunquam alioqui proditurum, extrahendum. Id enim salva matre fieri posse, nunquam persuadere mihi potui, seq. *)

Eandemque sententiam amplexi sunt *Guillemeau*, *Dionis*, *Mauriceau*. Et hac in operatione postea non tantam iam fiduciam posuisse homines, fabulasque a *Russelo, Bauhino*, *Raynaldo* propositas nec creditas ab omnibus esse, et obfuisse potius operationi quam profuisse, plane perspicitur ex iis, quae anno etiam 1721 *Mauriceau* dicit. Verba ipsius haec sunt: „Si on examinerait bien l'origine de toutes les histoires, qu'on fait touchant cette opération on trouverait toujours, que ce sont pures fables, et que celles, que nous rapporte le dit *Rousset*, n'en ont eu d'autre, que la rêverie, le caprice et l'imposture de leurs auteurs.“ **)

Et sub medium seculum illud *Simonius*, socius academiae chirurgiae Parisiensis, quaestiones instituit, quibus operationem cum successu fieri posse, p r o b a r e t. Hoc in dissertatione sua *Simonius* omnia exempla a *Russeto*, *Bauhino*, *Raynaldo*, aliisque oblata in unum congessit, ac praeterea

---

nei lati del ventre longhe mezzo piede, e questa attione (azione) e cosi nota per quei paesi come in Italia il cavare sangue nella doglia di testa“; hanc rem in illis regionibus tam notam esse, quam in Italia ad sanandum capitis dolorem venaesectiones.

*) Opera chirurgica, Francofurthi ad Moenum 1594. fol. Lib. 23. pag. 689.

**) Traité des maladies des femmes grosses sixième édition. Paris 1721. 4to. p. 356.

quindecim ab Academia chirurgia et unum a scientiarum Academia secum communicata publice proposuit, quae omnia exempla matres operationi superstites exhibuerunt.

Omnino universi quos commemoravi scriptores sectionis exempla, quae male cesserint, afferunt nulla; unde non temere coniicias, collegisse illos ea tantum, quae bonum habuissent eventum, ad reliqua vero exempla prorsus non respexisse.

Sed *Simonio* non plus esse fidei et auctoritatis quam tribus prioribus illis, inde liquebit quod interfuisse se nunquam operationibus ipsis ipse fatetur. Unum exemplum a femina quadam se dicit accepisse, quae hanc sectionem a chirurgo ipsa postulasset propterea, quod „elle avait entendu que les femmes de qualité accouchaient de cette manière.“ Cui feminae chirurgus ille „étonné de cette demande et n'ayant d'ailleurs jamais entendu parler de cette façon d'accoucher“ primo quidem se obsequi non posse respondit, postea tamen obsecutus, operationem cum secundo eventu absolvit.

Inde a *Simonii* temporibus, id est a medio proximo saeculo in Gallia operatio haec coepta est clariore in luce collocari, ac magnam habemus exemplorum multitudinem oblatorum inde ab anno 1750 optimorumque testimoniorum auctoritate nitentium.

Sed illo ex tempore prorsus huius operationis non tanta est gloria, et qui ad hanc usque aetatem illius fuit successus, talis est, ut ipsam matri semper periculosissimam esse appareat. Unde factum est, ut et acerrimos semper oppugnatores invenerit ipsa, in his Sacombum illum, eiusque discipulos, et diu ac multum quaesitum sit, numquid illius in locum substitui posset. Atque hinc exorta est symphysiotomia inutilis Sigauldi et quae improbanda omnino est Galbiatii, Neapolitani pelviotomia.

Neque tamen eo minus experientia edocti sumus, non posse nos sectione caesarea, modo sit certis finibus circumscripta, carere, et vel tanto cum periculo coniunctam illam

facere non possumus quin pro summo accipiamus beneficio, eandemque ut universo humano ingenio, sic ei, a quo promta manu suo loco et tempore peragitur, honorificentissimam habendam esse putemus.

In Germania ante initium huius saeculi pauca tantum huius operationis exempla exstiterunt. Sed inde ab eo tempore sectio non solum frequentius apud nos, sed ut ex operationum eventu apparet, etiam felicius, quam in Franco-Gallia instituitur.

In Anglia autem nondum eo perventum est, ut suas sectioni constet honos: non enim ex hac terra nisi viginti quatuor traditi sunt casus, quorum duo tantum matrem salvam praestiterunt. Quae raritas partim e magna inter Anglos sectionis lethalitate, cuius quidem causa explicari non potest, partim ex eo repetenda est, quod de vita infantis aliam illi ac nos habent sententiam, ideoque quotiescunque fieri potest perforationem instituunt. *)

Non est huius dissertationis consilium rationes de sectionis caesareae lethalitate inire statisticas longiores, et hac de re permulti iam iique satis copiosi in lucem editi sunt libri, e quibus illos tantum libet nominare *Baudelocquii* **), *Hullii* ***), *Curt. Sprengelii* †), *Michaelis* ††), *Kiliani* †††),

---

*) John Burns plane dicit: no British practitioner will perform it, when delivery can by the destruction of the child be procured on vias naturales.

**) Recueil périodique de la société de médecine de Paris. T. 5. 8vo. pag. 59 seqq.

***) Hull, John, Observations on Mr. Simons delection etc. with a defence of the cesarean operation, derived from authorities etc. Manchester 1794. 8vo.

†) Geschichte der Chirurgie. 1805. Th. 1. pag. 388 seqq.

††) Abhandlungen aus der Geburtshülfe pag. 34—217.

†††) Operat. Geburtshülfe Bd. II. pag. 782 seqq.

Kayseri *). Neque tamen alienum erit, ad difficultates illas animum attendere, quae superandae sunt ei, qui e felicium infeliciumque casuum enumeratione lethalitatis gradum exputare voluerit. Nam non solum ille aetatem gravidae secandae, coarctationis causam, temporis a dolorum initio usque ad operationem praeterlapsi longitudinem, operandi methodum probe animadvertere, verum etiam maiorem minoremve eius qui sectionem exsequitur dexteritatem, res fortuitas ut singularum partium prolapsum, corporis et animi constitutionem, rerum domesticarum rationem, multaque alia respicere debet, de quibus iudicium saepe nullum esse potest. Quo accedit, quod magnus casuum infelicium numerus et fortasse etiam nonnulli casus felices non veniunt in publicam notitiam, sive id iniusto fit pudore medici obstetricii, sive quod deest divulgandi occasio.

Cuius rei documentum iam inest in earum quae vulgo fiunt rationum statisticarum eventu. Omnes enim et felices et infelices casus, de quibus sumus certiores facti si contuleris, efficitur lethalitas 0, 62. Si autem earum tantum sectionum rationem habueris, quae factae in clinicis sunt, multo maior invenitur lethalitas haec 0, 79. Fuerunt enim inter 67 quos cognovimus casus, 14 tantum eventu felices. Iam vero in clinicis quum sit ea rerum conditio, ut magis quam in praxi privata hic exspectare successum felicem possis (quamquam altera ex parte concedendum est, feminae immutatam vitae consuetudinem non posse nisi affere detrimentum), mira illa infelicium casuum frequentia inde maxime deducenda videtur, quod omnes hic casus accurate sunt notati, in praxi contra privata non item.

Constat autem feminis semel sectionem feliciter perpessis a posterioribus sectionibus minus iam imminere periculi; nam e feminis 17, usque ad annum 1839 bis sectis, 5 tantum in-

---

*) De eventu sectionis caesareae Hafniae 1841.

felicem operationem expertae sunt, ita ut harum evadat mortalitas 0, 29.

Non igitur sectiones eisdem in feminis secundae, tertiae etc. promiscue cum illis primum institutis hic veniunt in censum.

Quodsi a numero 67, supra memorato, quatuor qui non primi in singulis feminis fuerunt casus subtraxeris, restabunt 63, e quibus decem felices, unde mortalitas existat 0, 84: numerus sane horribilis.

Denique in animo est, ut, qui successus fuerit earum sectionum, quas cl. *Kilianis* instituit, videamus.

Omnino sectiones hic fecit 11, quarum fuerunt felices 5. Sed hae felices sectiones duabus in feminis institutae sunt quarum una bis, altera ter operationem hanc subiit.

Quem eventum si comparaveris cum ceterorum eventu clinicorum casuum usque ad annum 1839 descriptorum, rerum ratio haec erit:

	Summa:	felices:	infelices:	mortalitas:
Omnium horum casuum . .	67	14	53	0, 79
Casuum in clinico Bonnensi a *Kiliano* curatorum . . .	11	5	6	0, 54
Casus priores si sectiones eadem in femina iteratas excludis .	63	10	53	0, 84
Casus *Kiliani*	8	2	6	0, 75.

Quae cum ita se habeant, *Kiliano* Professori de sectionum suarum successu summo nostro iure videmur posse gratulari quum feliciores illae ab omni parte fuerint, quam quae vulgo sunt institutae.

Hos vero eventus respicientes nec eorum possumus sententiae adstipulari, qui operationem tamquam non multum periculi habentem multo saepius, quam adhuc factum est, institutam volunt, nec opinionem probamus eorum, qui reiici illam omnino eiusque in locum substitui iubent vel partum arte praematurum vel etiam excitationem abortus et perfora-

tionem, id quod in Germania quidem prorsus pugnare cum honestate creditur.

Itaque quod supra dixi, hoc loco iam repeto: sectionem caesaream intra certos fines prorsus necessariam et unice salutiferam esse, quos tamen fines excedere propter magna eius pericula non licet.

V I T A.

Natus sum ego Dahlensis anno huius saeculi duodecimo, parentibus *Ioanne Adamo Puetz* et *Maria Anna ab Hertmanny*, vivo illo adhuc, hac ante viginti quatuor hos annos iam mortua. Fidem profiteor catholicam.

Litterarum studii feci initium in Gymnasio Duesseldorpiensi, unde tamen adversa valetudine commotus post tres annos et dimidium discessi; ad integram postea valetudinem revocatus, scholae cuidam privatae erudiendum me tradidi, qua in schola omnibus praeter unam linguam graecam disciplinis, in gymnasiis tractari solitis et maxime linguis recentioribus per biennium operam navavi. Hinc ego digressus, intermisso diutius ut negotiis aliis vacarem studiorum curriculo, post rursus ad litteras animum adieci, in easque ita incubui, ut, quod deerat ad maturitatem academicam, praeceptoris privati institutione supplerem.

Mense Octobri anni 1839 Bonnam me contuli et a reverendo viro Dr. *Rehfues* i. t. curatore almae Fridericiae Guilelmiae veniam accepi praelectiones frequentandi. Tempore paschali anni seq. 1840 in gymnasio Bonnensi testimonium maturitatis nactus et mense Maio sequ. a cl. *Goldfussio*, Rectore i. t. magnifico in civium academicorum numerum receptus, nomen professus sum apud cl. *Kilianum*, amplissimi medicorum ordinis illo tempore decanum spectatissimum.

Mense Octobri ei. a. 1840 academiam petii *Carolinam Rupertam*, ibique per annum et dimidium moratus sum; tum Bonnam reversus, quum mihi petenti a summo ministerio concessum esset, ut menses hiemales 1839—40 in legitimum tempus academicum reciperentur, hic cursum academicum uno transacto anno et dimidio confeci.

Iam scholarum, quibus per totum hoc tempus interfui ratio haec est:

Bonnae: Physicen experimentalem mihi tradidit cl. *Ploecker;* logicen cl. *Fichte;* psychologiam cl. *van Calker;* de libro XXIX Plinii, materiem diaetheticam cl. *Harless;* chemiam experimentalem, phytochemiam et zoochemiam cl. *G. Bischof;* zoologiam cl. *Goldfuss;* botanicen cl. *Treviranus;* mineralogiam cl. *Noeggerath.*

Heidelbergae: Osteologiam et syndesmologiam cl. *Kobelt;* anatomiam, physiologiam nervorum et organorum sensuum cl. *Tiedemann;* philosophiam religiosam cl. *Fortlage;* botanicen medicam cl. *G. W. Bischoff;* physiologiam et anatomiam comparatam cl. *Th. Bischoff;* pathologiam et therapiam generalem cl. *Puchelt;* artem obstetriciam cl. *Naegele;* materiam medicam et formulare cl. *Posselt;* chirurgiam cl. *Chelius.*

Bonnae iterum: De morbis oculorum, de fasciis rite applicandis, de akiurgia disputans a me auditus est cl. *Wutzer;* de anatomia pathologica, de semiotice cum exercitationibus semioticis cl. *Albers;* de pathogenia, de therapia generali et speciali, de morbis psychicis cl. *Nasse;* de encyclopaedia et methodologia, de pathologia et therapia speciali, de morbis psychicis cl. *Naumann;* de situ viscerum cl. *Weber;* de medicina forensi cl. *Ern. Bischoff;* de instrumentis obstetriciis, de morbis uteri cl. *Kilian;* de morbis mulierum cl. *Birnbaum.*

In exercitationibus practicis duces mihi ac moderatores fuere hi:

In secandis cadaveribus cl. *Kobelt, Th. Bischoff* et *Tiedemann;* in clinico propaedeutico et therapeutico cl. *Nasse;* in clinico chirurgico et ophthalmiatrico cl. *Wutzer* et *Kilian;* in clinico obstetricio, in exercitationibus ad phantoma cl. *Kilian.*

Hi vero omnes cl. viri, quibus quidquid mihi est rerum medicarum scientiae debetur, gratissimam se sui memoriam sciant in meo animo relinquere, eamque memoriam pro certo habeant et integram mihi semper et iucundissimam fore.

THESES.

1. *Non omnes morbos sanare licet.*
2. *Celsi sententia: „Anceps remedium melius quam nullum", non prorsus reiicienda.*
3. *Glandula thymus est alter pulmo.*
4. *Febris hectica non prohibet amputationem.*
5. *Hunteri methodus aneurysmata curandi ceteris praeferenda.*
6. *Diabetes mellitus ex pulmonibus.*
7. *Non vir obstetricius nisi medicus.*
8. *Nihil est, quod omnino substitui in locum sectionis caesareae possit.*
9. *Pelviotomia omnino est reiicienda.*
10. *Omnium artis medicae disciplinarum ars obstetricia gratissima.*